

terium creaturæ committitur, quia hoc ad ejus nobilitatem cedit.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod circa hoc inveniuntur tres opiniones.

Quidam enim dicunt, quod ignis elementum qui est in sphaera sua, descendet ad purgationem mundi. Modum autem descensionis ponunt per multiplicationem: ignis enim undique apposito combustibili augmentatur; & hoc præcipue tunc fiet quando ignis virtus exaltabitur super omnia alia elementa. Sed contra hoc esse videtur quod ignis ille non tantum descendet, sed etiam à Sanctis ascendere perhibetur, ut patet II. Pet. 111. ubi videtur, quod tantum ascendet iudicii ignis, quantum aqua diluvii, ex quo videtur quod ignis ille sit circa locum medium generationis.

Et propter hoc alii dicunt, quod ignis ille generabitur circa locum terræ ex congregatione radiorum cælestium corporum, sicut videmus quod congregantur in speculo comburente: tunc autem loco speculorum erunt nubes concavæ, ad quas fiet radiorum reverberatio. Sed istud etiam non videtur conveniens: quia cum effectus cælestium corporum sequantur determinatos situs, & aspectus eorum, si ex virtute corporum cælestium ignis ille generaretur, esset notum tempus illius purgationis considerantibus motus astrorum; quod auctoritati Scripturæ repugnat.

Et ideo alii dicunt, sequentes Augustinum, quod sicut mundanarum aquarum inundatione factum est diluvium, ita mundanorum ignium conflagratione figura hujus mundi peribit, ut dicitur XX. de civit. Dei, cap. XVI. Ista autem conflagratio nihil aliud est quam congregatio omnium causarum superiorum, & inferiorum, quæ ex natura sua habent virtutem igniendi: quæ quidem (3) congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute divina fiet, & ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis qui faciem hujus mundi exuret.

Si autem hæc opiniones (4) recte considerentur, inveniuntur diversificari quantum ad causam generationis illius ignis, & non quantum ad speciem ejus. Ignis enim generatus à sole, vel ab inferiori calefaciente, est ejusdem speciei cum igne qui est in sua sphaera, nisi in quantum admiscetur ei de materia aliena: quod quidem tunc oportebit, quia ignis non potest aliquid purgare, nisi secundum hoc quod alterum efficitur materia ejus aliquo modo. Unde simpliciter concedendum est, quod ignis ille erit ejusdem speciei cum isto.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis ille quamvis sit ejusdem speciei cum igne qui apud nos est, non tamen est idem numero. Videmus autem quod duorum ignium ejusdem speciei unus alterum destruit, major scilicet minorem, consumendo materiam ejus: & similiter etiam ille ignis ignem qui apud nos est, consumere poterit.

Ad secundum dicendum, quod sicut operatio quæ procedit à virtute rei, est virtutis indicium, ita (5) & virtus est indicium essentiae, vel naturæ, quæ procedit à principiis essentialibus rei. Operatio autem quæ non procedit ex virtute rei operantis, non indicat virtutem ipsius, sicut patet in instrumentis: actio enim instrumenti magis manifestat virtutem agentis quam

(3) Al. cognitio. Nicolai ignitio. (4) Al. directe. (5) Clarius: ita & virtus quæ procedit à principiis essentialibus rei, est indicium essentiae, vel naturæ. (6) Nicolai: est quod corpora.

virtutem instrumenti: quia virtutem agentis manifestat ut primum operationis principium; virtutem autem instrumenti non manifestat, nisi quatenus est susceptivum influentiæ principalis agentis, secundum quod movetur ab eo. Similiter etiam virtus quæ non procedit ex principiis essentialibus rei, non manifestat naturam ejus, nisi quantum ad susceptibilitatem; sicut virtus qua aqua calefacta potest calefacere, non manifestat naturam ejus, nisi quantum ad calefactibilitatem: & ideo nihil prohibet quin aqua habens hanc virtutem sit ejusdem speciei cum aqua non habente virtutem istam. Similiter etiam non est inconveniens quod ignis ille qui habebit vim purgandi faciem mundi, sit alterius speciei ab igne qui apud nos est, cum vis calefactiva non oriatur in ipso ex principiis essentialibus, sed ex divina operatione; sive dicatur quod illa virtus sit aliqua qualitas absoluta, sicut calor in aqua calefacta; sive sit intensio quædam, sicut de instrumentali virtute in 1. dist. dictum est: & hoc probabilius est, quia ignis ille non ager nisi ut instrumentum divinæ virtutis.

Ad tertium dicendum, quod ignis ex propria natura non fertur nisi sursum; sed in quantum sequitur materiam quam requirit extra propriam sphaeram existens, sic sequitur materiam combustibilis situm: & per modum istum non est inconveniens quod vel in circuitu, vel in deorsum moveatur, & præcipue secundum quod agit ut instrumentum virtutis divinæ.

ARTICULUS II.

Utrum ille ignis purgabit etiam cælos superiores.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod ille ignis purgabit etiam cælos superiores. Quia in Psalm. CI. 20. dicitur: *Opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis.* Sed etiam superiores cæli sunt opera manuum Dei. Ergo etiam ipsi in illa finali conflagratione peribunt.

2. Præterea. II. Petri 111. 12. dicitur: *Cæli ardentis solventur, & elementa ignis ardere tabescent.* Cæli autem qui ab elementis distinguuntur, sunt cæli superiores, in quibus fixa sunt sydera. Ergo videtur quod etiam illi per ignem illum purgabuntur.

3. Præterea. Ignis ille est ad hoc ut removeat à corporibus indispositionem ad perfectionem gloriæ. Sed in cælo superiori inveniuntur indispositio & ex parte culpæ quia diabolus ibi peccavit; & ex parte naturalis defectus, quia Rom. VII. super illud: *Scimus quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.* dicit Glossa Ambrosiasti: *Omnia elementa cum labore sua explent officia, sicut sol, & luna non sine labore statuta sibi implent spatia.* Ergo etiam cæli purgabuntur per ignem illum.

Sed contra (6) est. Corpora cælestia peregrinæ impressionis receptiva non sunt.

Præterea. Super illud II. Thess. 1. *In flamma ignis dantis vindictam*, dicit Glossa Haymonis: *Ignis erit, in mundo qui præcedet eum, tantum spatium aeris occupans, quantum occupavit aqua in diluvio.* Sed aqua diluvii non ascendit usque ad superiores cælos, sed solum quindecim cubitis super altitudinem montium, ut habetur Gen. VII. Ergo cæli superiores illo igne non purgabuntur.

QUÆSTIO II.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod ignis ille alia elementa consumet. Quia, ut dicit Glossa Bedæ II. Petri ult. *elementa quatuor, quibus mundus consistit, ille maximum absumet: nec cuncta (1) tantum consumentur, ut non sint; sed duo ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem.* Ergo videtur quod ad minus duo elementa per ignem illum destruenda sint totaliter.

2. Præterea. Apoc. XXI. 1. dicitur: *Primum cælum, & prima terra abiit; & jam mare non est.* Sed per cælum aer intelligitur, ut Augustinus dicit, Lib. I. super Gen. ad litter. cap. IV. mare autem est aquarum congregatio. Videtur ergo quod illa tria elementa totaliter destruentur.

3. Præterea. Ignis non purgat nisi secundum hoc quod alia efficiuntur materia ejus. Si ergo ignis purgat alia elementa, oportet quod ejus materia efficiantur. Ergo oportet quod in naturam ignis transeant; & sic à natura sua corrumpentur.

4. Præterea. Forma ignis est nobilissima forma, ad quam perducitur elementaris materia. Sed per illam purgationem omnia in statum nobilissimum mutabuntur. Ergo alia elementa in ignem totaliter convertentur.

Sed contra est (2) quod dicitur I. Corinth. VII. super illud: *Præterit figura hujus mundi.* Pulchritudo, non substantia hujus mundi præterit. Sed ipsa substantia elementorum pertinet ad mundi perfectionem. Ergo elementa non consumuntur secundum suam substantiam.

Præterea. Illa finalis purgatio, quæ fiet per ignem, respondebit primæ purgationi, quæ facta est per aquam. Sed illa non corrumpit elementorum substantiam. Ergo nec illa quæ fiet per ignem corrumpit.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod nec omnia elementa per illum ignem purgabuntur. Quia, ut jam dictum est, ignis ille non ascendet, nisi quantum ascendit aqua diluvii. Sed aqua diluvii non pervenit usque ad sphaeram ignis. Ergo nec per ultimam purgationem elementum ignis purgabitur.

2. Præterea. Apoc. XXI. dicit Glossa super illud, *Vidi cælum novum etc.* Immutatio aeris, & terræ, dubitabile non est quin per ignem fiat; sed de aqua (3) dubitatur, nam purgationem in seipsa habere creditur. Ergo ad minus non est certum quod omnia elementa purgentur.

3. Præterea. Locus qui est perpetuæ infectionis, nunquam purgatur. Sed in inferno erit perpetua infectio. Cum ergo infernus intra elementa collocetur, videtur quod non totaliter elementa purgentur.

4. Præterea. Paradysus terrestris in terra continetur. Sed ille non purgabitur per ignem: quia nec etiam aquæ diluvii illud ascenderunt, ut Beda dicit, & habetur in II. Sent. dist. XXV. Ergo videtur quod non totaliter omnia elementa purgentur.

Sed contra est Glossa supra inducta, quæ habetur II. Petri ult. quod quatuor elementa ignis ille absumet.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. interim. (2) Nicolai quod I. Corinth. VII. super illud. *Præterit figura hujus mundi*, dicit Glossa: Pulchritudo &c. Ad marginem vero: Interlinealis nempe summam tantum ex Ambrosii suppositio commentario. (3) Al. dubitabatur, natura purgationem.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod purgatio mundi ad hoc est ut removeatur à corporibus dispositio contraria perfectioni gloriæ, ut supra dictum est; quæ quidem perfectio est ultima rerum consummatio: & hæc quidem indispositio in omnibus corporibus invenitur, sed diversimode in diversis. In quibusdam enim invenitur indispositio secundum aliquid inhærens substantiæ ipsorum, sicut in istis corporibus inferioribus, quæ per mutua mixtionem decidunt à propria puritate. In quibusdam vero corporibus invenitur indispositio non per aliud substantiæ eorum inhærens, sicut in corporibus cælestibus, in quibus nihil invenitur repugnans ultimæ perfectioni universi, nisi motus, qui est via ad perfectionem: nec motus quilibet, sed localis tantum, qui non variat aliquid quod intrinsicum sit rei, ut substantiam, aut quantitatem, sed solum locum qui est extra rem. Et ideo à substantia cæli superioris non oportet quod aliquid removeatur: sed oportet quod motus ejus quietetur. Quietatio autem motus localis non fit per actionem alicujus contrarii agentis, sed per hoc quod motor desistit à movendo: & ideo corpora cælestia nec per ignem, nec per alicujus creaturæ actionem purgantur; sed ipsa eorum quietatio sola voluntate divina accidens eis, loco purgationis erit.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Augustinus XX. de civ. Dei cap. XXIV. verba illa Psalmi intelligenda sunt de cælis aereis, qui purgabuntur per ignem ultimæ conflagrationis. Vel dicendum, quod si etiam de superioribus cælis intelligatur, tunc dicuntur perire quantum ad motum quo nunc continue moventur.

Ad secundum dicendum, quod Petrus se exponit de quibus cælis intelligat. Præmiserat enim ante verba inducta quod cæli prius & terra per aquam perierant, qui nunc sunt eodem verbo repositi, igni reservati in diem iudicii. Illi ergo cæli per ignem purgabuntur qui prius aqua diluvii sunt purgati, scilicet cæli aerei.

Ad tertium dicendum, quod ille labor, & illa servitus creaturæ qui corporibus cælestibus ab Ambrosio (Ambrosiastro, ut sup.) attribuitur, nihil est aliud quam vicissitudo motus, ratione cuius temporibus subiunguntur, & defectus ultimæ consummationis, quæ finaliter in eis erit. Ex culpa etiam demonum cælum empyreum infectionem non contraxit, quia peccando statim de cælo expulsi sunt.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod circa hanc quæstionem multiplex est opinio.

Quidam enim dicunt, quod omnia elementa manebunt quantum ad materiam; omnia autem mutabuntur quantum ad imperfectionem; sed duo eorum retinebunt propriam formam substantialem, scilicet aer, & terra; in duobus vero, scilicet igne, & aqua, non remanebit forma substantialis eorum, sed mutabuntur ad formam cæli: & sic tria elementa, scilicet ignis, aer, & aqua cælum dicentur, quamvis aer retineat eandem formam substantialem quam nunc habet, quia nunc etiam cælum dicitur. Unde

Pp 2

& Apoc. xxi. i. non fit mentio nisi de caelo, & terra. *Vidi*, inquit, *caelum novum, & terram novam*. Sed haec opinio est omnino absurda: repugnat enim & Philosophiae, secundum quam poni non potest quod corpora inferiora sint in potentia ad formam caeli, cum nec materiam habeant comminam, nec contrarietatem ad invicem; & etiam Theologiae, quia secundum hanc positionem non salvabitur perfectio universi cum integritate suarum partium, duobus elementis sublatis. Unde per hoc quod dicitur caelum, intelligitur quantum corpus; omnia vero elementa intelliguntur per terram, sicut in Psalmo cxlvi. 7. dicitur: *Laudate Dominum de terra: & sequitur; Ignis, grando, nix, glacies etc.*

Et ideo alii dicunt, quod omnia elementa manebunt secundum substantiam, sed quantitates activae, & passivae ab eis removebuntur; sicut etiam ponunt quod in corpore mixto elementa salvabuntur secundum formas suas substantiales sine hoc quod proprias qualitates habeant, cum sint ad medium reductae, & medium neutrum extremorum est. Et huic etiam videtur consonare quod Augustinus dicit XX. de civ. Dei (cap. xvi) *Ille conflagratione mundana elementorum corruptibilem, qualitates quae corporibus nostris congruebant, ardens penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant*. Sed istud non videtur probabile, cum qualitates propriae elementorum sint effectus formarum substantialium, quod formis substantialibus manentibus, qualitates praedictae (4) non possint mutari, nisi per actionem violentam ad tempus; sicut in aqua calefacta videmus quod ex vi suae speciei frigiditatem recuperat, quam per actionem ignis amisit, dummodo species aquae maneat. Et praeterea etiam ipsae qualitates elementares sunt de perfectione secunda elementorum, sicut propriae passionis eorum. Nec est probabile quod in alia finali consummatione aliquid naturalis perfectionis ab elementis tollatur.

Et ideo videtur dicendum, quod manebunt elementa quantum ad substantiam, & qualitates eorum proprias: sed purgabuntur, ut supra dictum est, ab infectione quam ex peccatis hominum contraxerunt, & ab impuritate quae per actionem, & passionem mutua in eis accidit: quia iam cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio, & passio esse non poterit: & hoc Augustinus appellat *qualitates corruptibilem elementorum*, scilicet innaturales eorum dispositiones, secundum quas corruptioni appropinquant.

Ad primum ergo dicendum, quod ignis ille dicitur quatuor elementa absumere, in quantum ea aliquo modo purgabit. Quod autem sequitur, *Duo ex toto consumet*, non est intelligendum quod duo elementa secundum substantiam destruantur, sed quia duo magis removebuntur a proprietate quam nunc habent: quae quidem duo a quibusdam dicuntur esse ignis, & aqua, quae maxime (5) excedunt in qualitatibus activis, scilicet calore, & frigore, quae sunt maxime corruptionis principia in aliis corporibus. Et quia tunc non erit actio ignis, & aquae, quae sunt maxime activa, maxime immutari videbuntur a virtute quam nunc habent. Alii dicunt haec duo esse aerem, & aquam propter varios motus istorum duorum elementorum, quos consequuntur ex motu corporum caelestium: & quia isti motus non erunt, sicut fluxus, & refluxus maris, & commotiones

(4) *Al. deest non.* (5) *Al. cedunt.* (6) *Al. in mare.* (7) *Al. commixtiones.*

ventorum, & huiusmodi; ideo illa elementa maxime mutabuntur a proprietate quam nunc habent.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus XX. de civ. Dei (cap. xvi.) cum dicitur, *Et mare iam non est*, per mare potest intelligi praesens saeculum, de quo supra parum ante dixerat: *Mare dedit mortuos suos*. Si tamen (6) mare ad litteram referamus, tunc est dicendum, quod in mari duo intelliguntur, scilicet substantia aquarum, & earum dispositio quantum ad salsedinem, & fluctuum (7) commotiones; & quantum ad hoc secundum, mare non remanebit, manebit autem quantum ad primum.

Ad tertium dicendum, quod ignis ille non ager nisi ut instrumentum providentiae, & virtutis divinae; unde non ager in alia elementa usque ad eorum consumptionem, sed solum usque ad purgationem. Nec oportet quod illud quod efficitur materia ignis, totaliter specie propria corrumpatur, sicut patet in ferro ignito, quod a loco ignitionis remorum ex virtute speciei remanentis ad proprium statum & pristinum redit; & ita etiam erit de elementis per ignem purgatis.

Ad quartum dicendum, quod in partibus elementorum non oportet considerari solum quid congruat alicui parti secundum se acceptae, sed etiam quid congruat secundum ordinem ad totum. Dico ergo, quod aqua quamvis esset nobilior, si haberet formam ignis, similiter terra, & aer, universum tamen esset imperfectius, si tota elementorum materia formam ignis assumeret.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod quidam dicunt, quod ignis ille ascendet usque ad summitatem spatii continentis quatuor elementa, ut sic elementa totaliter purgentur & ab infectione peccati, quo etiam superiores partes elementorum sunt infectae, ut patet per fumum idolatrie superiora inficiens; & etiam a corruptione, quia elementa secundum omnes partes sui corruptibilia sunt. Sed ista opinio repugnat auctoritati sacrae Scripturae: quia II. Petri 111. dicitur, quod illi caeli repositi sunt igni qui fuerunt per aquam purgati: & Augustinus dicit XX. de civ. Dei (cap. xxiv.) quod ille mundus qui diluvio perit, igni reservatur. Constat autem quod aqua diluvii non ascendit usque ad summitatem spatii elementorum, sed solum usque ad quindecim cubitos super altitudines montium: & praeterea notum est quod vapores elevati a terra, vel fumi quicumque non possunt transire per totam sphaeram ignis, ut perveniat ad summitatem eius; & ita infectio peccati non pervenit usque ad spatium praedictum. A corruptibilitate etiam elementa non possunt purgari per subtractionem alicujus quod per ignem possit consumi; sed per ignem poterunt consumi impuritates elementorum quae ex eorum permutatione proveniunt. Huiusmodi autem impuritates praecipue sunt circa terram usque ad medium aeris interstitium: unde usque ad illud spatium ignis ultimae conflagrationis elementa purgabit: tantum enim etiam aquae diluvii ascenderunt; quod probabiliter aestimari potest ex montium altitudine quo determinata mensura transcenderant.

Primum ergo concedimus.

Ad secundum dicendum, quod ratio dubitationis

in Glossa exprimitur, quia scilicet aqua in se virtutem purgationis habere creditur. Non tamen habet vim purgationis talis, qualis futuro statui competit, ut ex dictis patet.

Ad tertium dicendum, quod illa purgatio praecipue ad hoc erit ut quidquid est imperfectionis, a Sanctorum habitatione removeatur: & ideo in illa purgatione totum quod est feccum, ad locum damnatorum congregabitur: unde infernus non purgabitur, sed ad ipsum adducentur totius mundi purgamenta.

Ad quartum dicendum, quod quamvis peccatum primi hominis in terrestri paradiso sit commissum, non tamen locus ille est locus peccantium, sicut nec caelum empyreum: ex utroque enim loco homo, & diabolus statim propter peccatum sunt eiectione: unde locus ille purgatione non indiget.

ARTICULUS III.

Utrum ignis ultimae conflagrationis iudicium sequi debeat.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod ignis ultimae conflagrationis iudicium debeat sequi. Augustinus XX. de civ. Dei, cap. xxxi. hunc ordinem ponit eorum quae in iudicio sunt futura, dicens: *In illo iudicio, vel circa illud iudicium has res (7) didicimus esse venturas: Eliam Thesbitem, fidem Judaeorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum maiorumque divisionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem*. Ergo conflagratio iudicium sequitur.

2. Praeterea. Augustinus dicit in eodem Lib. cap. xvi. *Judicatis impiis, & in ignem aeternum missis, figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione peribit*. Ergo idem quod prius.

3. Praeterea. Dominus ad iudicandum veniens aliquos vivos reperiet, ut patet ex hoc quod habetur I. Thessal. iv. 14. ubi ex persona eorum Apostolus dicit: (8) *Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeventemus eos qui dormierunt*. Sed hoc non esset, si conflagratio mundi praecederet: quia per ignem dissolverentur. Ergo ignis ille iudicium sequitur.

4. Praeterea. Dominus dicitur iudicaturus orbem per ignem; & ideo conflagratio finalis videtur esse executio divini iudicii. Sed executio sequitur iudicium. Ergo ille ignis iudicium sequitur.

Sed contra est quod dicitur in Psal. xcvi. 3. *Ignis ante ipsum praecedet*.

Praeterea. Resurrectio praecedet iudicium: alias non videret omnis oculus Christum iudicantem. Sed mundi conflagratio resurrectionem praecedet: Sancti enim qui resurgent, corpora spiritualia (9) & impassibilia habebunt: & ita non poterunt per ignem purgari, cum tamen in littera dicatur ex verbis Augustini quod per ignem illum purgabitur, si quid in aliquibus sit purgandum. Ergo ignis ille iudicium praecedet.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod ignis ille non habe-

(7) *Al. dicimus.* (8) *Vulgata, quia nos.* (9) *Al. etiam.*

Ex Edit. P. NICOL. (a) Non sic ibi Glossa nova, nec vetus ad manum est, sed super illud I. Corinth. 111. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*, paulo aliter.

bit talem effectum in hominibus, qualis in littera designatur. Illud enim consumi dicitur quod reduci-tur ad nihilum. Sed corpora ipsorum non solventur in nihilum, sed in aeternum conservabuntur, ut aeternam poenam sustineant. Ergo ignis ille non erit malis consumptio, ut in littera dicitur.

2. Si dicatur, quod consumeret malorum corpora, in quantum ea resolveret in cinerem; contra. Sicut corpora malorum, ita & bonorum in cinerem resolverentur: hoc enim est Christi privilegium, ut caro ejus corruptionem non videat. Ergo etiam & bonis tunc repertis erit consumptio.

3. Praeterea. Infectio peccati magis abundat in elementis; secundum quod veniunt ad compositionem humani corporis, in quo est corruptio fornicis, etiam quantum ad bonos, & in elementis extra corpus humanum existentibus. Sed elementa extra corpus humanum existentia purgabuntur propter peccati infectionem. Ergo multo fortius oportet per ignem purgari elementa in corporibus humanis existentia sive bonorum, sive malorum; & ita oportet utrorumque corpora resolvi.

4. Praeterea. Quamdiu status viae durat, elementa similiter agunt in bonos, & in malos. Sed adhuc durabit status huiusmodi viae in illa conflagratione; quia post statum huius viae non erit mors naturalis, quae tamen per illam conflagrationem causabitur. Ergo ignis ille aequaliter ager in bonos, & in malos; & ita videtur quod non sit aliqua discretio inter eos quantum ad effectum illius ignis suscipiendum, sicut in littera ponitur.

5. Praeterea. Illa conflagratio quasi in momento perficietur. Sed multi inveniuntur vivi, in quibus erunt multa purgabilia. Ergo illa conflagratio non sufficit ad eorum purgationem.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod ignis ille non involvet reprobos. Quia Malach. 111. super illud: *Purgabit filios Levi*, dicit Glossa (a), *Duos ignes legimus futururos: unum quo purgabit electos, & praecedet iudicium; alterum qui reprobos cruciabit*. Sed hic est ignis interni, qui malos involvet: primus autem est ignis finalis conflagrationis. Ergo ignis finalis conflagrationis non erit ille qui malos involvet.

2. Praeterea. Ignis ille Deo obsequitur in purgatione mundi. Ergo debet remunerari aliis elementis remuneratis, & praecipue cum ignis sit nobilissimum elementorum. Non ergo videtur quod in infernum debeat deijci in damnatorum poenam.

3. Praeterea. Ignis qui malos involvet, erit ignis interni. Sed ignis ab initio mundi praeparatus est damnatis; unde Matth. 41. *Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo etc.* & Isai. xxx. 33. *Parata est ab heri Tophet a Rege praeparata etc.* Glossa (Hieronymi): *Ab heri*, id est ab initio: *Tophet*, id est vallis gehennae. Sed ignis ille finalis conflagrationis non fuit ab initio praeparatus, sed ex concursu mundanorum ignium generabitur. Ergo ille ignis est aliis ab igne interni, qui reprobos involvet.

In contrarium est quod in Psal. xcvi. 3. de igne illo dicitur, quod *inflammabit in circuitu inimicos ejus*.

Praeterea. Dan. vii. 10. dicitur: *Ignis stivius rapidusque egrediebatur a facie ejus*: Glossa (Hieronymi)